

Catullus 63.74: *roseis ut hinc labellis sonitus adiit*

I. Attidis querela litoralis ad finem perducta est:¹⁾

(...) "Iam iam dolet, quod egi, iam iamque paenitet."

Roseis ut *huic* labellis *sonitus citus abiit*

geminas deorum ad auris noua nuntia referens,

75

ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus

laeuumque pecoris hostem stimulans ita loquitur:

"Agedum", inquit, "age ferox i, fac ut hunc furor agitet" (...)

74 huic *recc.*: hinc V, hic *recc.* | sonitus citus *Bentleius*: sonitus V, sonus editus *Froelich-*
ius | abiit *recc.*: adiit V | 76 ibi *recc.*: ubi V

Versus 74 in libris manu scriptis hanc praebet speciem: *roseis ut hinc labellis sonitus adiit*. Expediamus primum, quod minimum facillimumque est, delictum metri; scilicet in ea parte uersus galliambici, quae caesuram sequitur, desunt duae syllabae. Has suppleuit Bentleius, ut hoc efficeret: *sonitus <citus>*, seu potius *soni<tus ci>tus*. Froelichius aliter metrum sanauit: *son<us ed>itus*. Bentlei textus lectionem quidem difficiliorem praebet, nam multo usitatius dici uidetur "sonus labellis editus", quam "sonitus labellis citus"²⁾ (ab eo uerbo, quod est "cieo"), sed utique error non orationis difficultate, uerum potius uerborum extremorum similitudine excusatur, ultra ergo coniectura textum difficiliorem reddiderit, parum refert. Similitudo autem uerborum in utraque coniectura pariter ualet, nam lapsus oculi accidere potuit librario tam bene in his: "sonitus citus", quam in his: "sonus editus",³⁾ cum sint in libris uestigia confusionis litterarum "n" et "d", ceu ad 55.4 *in circo*, quo loci libri *idcirco* habent. Cum plerique editores, quoad scio, Bentlei coniecturam acceperint, uox tamen "sonitus" minus conuenire uidetur cum hoc carminis loco, quam uox "soni"; haec enim multo aptior est, ut loquelam articulatam appelles, quam illa, quae uoces inconditas⁴⁾ significat et eas plerumque inhumanas. Quare, cum Attis in litore faciat procul dubio uerba eaque articulata, Froelichii coniectura mihi quidem magis arridet.

¹⁾ Secundum editionem Fordyce 1968.

²⁾ Sane neutrum est sine exemplis: *conatoque queri mugitus edidit ore* (Ov. *Met.* 1.637); *frigidulos udo singultus ore cientem* (Catul. 64.131).

³⁾ Vtrumcumque acciderit, lectio librorum *sonitus* e particulis uerborum duorum constat. Quod si tamquam duo uerba in se continet, non dici potest Bentleii coniecturam propiorum esse textu librorum, sed utrumque pariter hac re ualet.

⁴⁾ Lucr. 4.614: *et sonitum potius quam uerba audire uidemur*.

II. In uersus extremitate libri *adiit* habent, tamquam “sonus adiit deorum ad aures”. Quod tamen pugnat cum Catulli consuetudine loquendi, qui adeundi uerbum semper cum accusatiuo solo ponit, nec umquam cum praepositione.⁵⁾ Hinc qui Catulli carmina emittenda curant iam dudum *abiit* scribunt, recte quidem, sed quaestio soluenda remanet, scilicet quomodo textus corruptus sit. Mihi quidem illud *adiit* prolapsus esse uidetur e uersu 87, qui est *at ubi umida albicantis loca litoris adiit*. Inter utrumque duodecim uersus sunt interpositi, totidem fere ac inter uersum 1 et 14, in cuius extremitate uariam lectionem *celeri* libri conseruauerunt ad id, quod in primo habent, id est *celere* sensu cassum. Colligi ergo potest cartam in aliquo exemplari 13 aut 14 uersus continuisse et, cum ita sit, uersum 87 uicinum fuisse uersui 74. Probabile quoque uidetur librarium, cum in uersu sequente illud *ad auris* uidisset nec quid “abiit ad auris” sibi uellet plane intellexisset, interpolauisse uersum et *adiit* posuisse.

III. Vtique ab eo uerbo corruptelam creuisse puto, *hinc* enim, quod in libris uidere est, interpolatum quoque uidetur in eo, ut illi *adiit* responderet. Sed hoc sensum reddit uacillantem, nam narrator eum locum, quo Attis queritur, sibi propinquum non putat, confer 63.47-8: (...) *reditum ad uada tetulit. Ibi maria uasta uisens* (...); si ergo “ab eo loco” dicere uellet, non “hinc”, sed “illinc” diceret. *Huic* quoque displicet eam ob rem, quod, quoniam nemo praeter Attin in litore adest, inane profecto est per pronomem significare affirmareque, “cui” sonus abierit.

Equidem *hic* et prius illic stetisse et nunc scribi debere credo, ut iam in libris recentioribus coniectum est, pronomem scilicet masculini generis, quod ad uerbum “sonus” spectat. “Hic sonus” sane “hanc querelam” significat, eam scilicet, quam Attis modo (63.73) finiuit.

IV. Restat, ut doceam, quid de illo *ibi* sentiam stante in principio uersus 76. Eo loco libri uetustissimi *ubi* exhibent, quod iam recentiores correxere. Tamen non sine quadam causa olim hunc locum sic lectum esse credo, quia illud *ubi* est emendatio in uersum 74 seu uaria lectio perperam, ut crebro fit, disposita. Nam in eo uersu procul dubio non *ut*, sed *ubi* legendum est, ut fiat constructio temporalis *ubi... ibi* (id est “cum... tum”):

Roseis *ubi* hic labellis sonus editus abiit
 geminas deorum ad auris noua nuntia referens,
ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus
 laeuumque pecoris hostem stimulans ita loquitur (...)

75

⁵⁾ 8.16 *quis nunc te adibit?*; 61.176 *cubile adeat uiri*; 63.3 *adiitque... loca deae*; 63.30 *uiridem... adit Idam*; 63.54 *adirem... latibula*; 63.87 *loca litoris adiit*.

Exemplo sunt uersus 63.39-42, quibus idem genus continetur sententia:

Sed *ubi* oris aurei Sol radiantibus oculis
 lustrauit aethera album, sola dura, mare ferum 40
 pepulitque noctis umbras uegetis sonipedibus,
ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit;

Eadem etiam apud alios scriptores ueteres uidere est, e contrario *ut... ibi* similiter iuncta nusquam inueni; 63.1-3 ad hanc rem non pertinent, nam illo loco *ibi* non temporali, sed propria significatione accipiendum est, tamquam “in Phrygio nemore” seu potius “in opacis locis deae”.

V. Itaque Catulli uersus 63.74-6 sic imprimendos credo:

Roseis ubi hic labellis sonus editus abiit
 geminas deorum ad auris noua nuntia referens, 75
 ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus

ul. Wrzeczono 5 m. 129
01-951 Warszawa, Poland
draco@obta.uw.edu.pl

Konrad M. Kokoszkiewicz

Received: November 2007; accepted: January 2008

Bibliographia

- Della Corte, F. 2003. *Catullo. Le poesie* (Milano)
 Doeringius, F.G. 1822. *C. Valerii Catulli opera omnia* (Londinii)
 Fordyce, C.J. 1968. *Catullus* (Oxford)
 Goold, G.P. 1983. *Catullus* (London)
 Schwabe, L. 1886. *Catulli Veronensis liber ad optimos codices denuo collatos* (Berolini)
 Thomson, D.F.S. 1998. *Catullus* (Toronto)